



WYPISY
NA KLASSE PIERWSZA
DO NAUKI MORALNEY.

Trzeba kochać Rodziców.

1. **P**arentes carissimos habere debemus, quod ab iis nobis, vita, patrimonium, civitas tradita est. *Cicero (a).*

2. Beneficiorum maxima sunt ea, quae a Parentibus accipimus, cum aut nescimus, aut nolumus. Parentes cogunt teneros infantes ad salubrium rerum patientiam. Flentium ac repugnantium corpora, diligenti cura fovēt. Mox liberalia studia inculcant. Juventam frugalitati, pudori, moribus bonis applicant. *Seneca (b).*

A

21

— 2 —

Imitandos esse majores; sed primum illud exceptum sit, ne vitia sint imitanda. Deinde si natura non feret, ut quaedam imitari possit, praestare debebit filius, quae erunt in sua potestate, justitiam, fidem, modestiam, temperantiam. Optima autem haereditas a patribus traditur liberis, gloria virtutis rerumque gestarum. *Cic: de Offic: lib: 1. Nro 33.*

3. Cajus Marcius Coriolanus, patre orbatus, adhuc puer, sub matris tutela adolevit. Sortitus erat a natura nobiles ad laudem impetus: sed quia doctrina non accessit, irae impotens, obstinataeque pervicaciae fuit, et exemplo suo confirmavit, generosam indolem, si liberali institutione careat, edere multa simul cum virtutibus vitia, sicut faecundum naturae agrum, qui exultus non sit. Quoniam invictum voluptate, pecunia, labore animum gerebat; ejus continentia, justitia, fortitudo praedicabantur; at praeservida ira, asperi mores, et parum civilis congressus, graviter ferebantur.

Cum prima stipendia facere coepisset adolescens, e multis praeliis, quibus interfuit, nunquam rediit, nisi donatus co-

rona, aliove militari praemio. Commilitonibus ejus bellicae virtutis finis erat gloria, illi vero finis gloriae, gaudium matris. Nam ubi illa audivisset ipsum laudari, et donari vidisset corona, et prae laetitia lachrymans esset complexa,, id sibi summo honori felicitatique ducebat esse. Ut uni matri rependeret gratiam, quam utrique parenti debebat, ea oblectanda et colenda, satiari non poterat. Illa cupiente atque orante uxorem duxit, illius in aedibus, natis jam liberis, cum uxore habitavit.

Post multa in patriam merita, iudicio populi, cujus iram in se concitavit, damnatus Coriolanus, in Volscos exsulatum abiit, hostiles spiritus gerens. Venientem Volsci benigne exceperunt, et usus est hospitio Attii Tulli, qui princeps Volscorum erat, Romanisque fuerat semper infestus. Itaque cum alterum vetus odium, alterum recens ira stimularret; brevi effecerunt, ut legerentur Imperatores ad bellum, adversus Romanos gerendum.

Coriolanus expugnatis non paucis Romanorum oppidis, castra posuit quinque

millia passuum ab urbe, agrumque Roma-
 num est populatus. Missi Roma ad eum
 oratores de pace, atrox responsum retu-
 lerunt. Iterum deinde missi, ne in castra
 quidem admissi sunt. Sacerdotes quoque,
 suis infulis velatos, isse ad eum supplices
 traditur, nihil tamen flexisse animum.
 Tum Veturia Coriolani mater, exacta ae-
 tate mulier, et Volumnia uxor, duos par-
 vos ex Marcio filios ferens secum, in ca-
 stra hostium venit, cum frequenti matro-
 narum comitatu, ut eam Urbem precibus
 lachrymisque defenderet, quam viri armis
 non poterant. Corionalus, qui motus non
 fuerat, nec publica majestate in legatis,
 nec Religione in Sacerdotibus, ut matrem
 aspexit, prope ut amens, consternatus ab
 sede sua fert matri obviam complexum:
Sine, inquit illa, prius sciam, utrum ad ho-
stem, an ad filium venerim! At ille matrem
 amplexus: *expugnasti, inquit, et vicisti i-*
ram meam, o Patria! admotis matris meae
precibus, cui tuam in me injuriam con-
dono. Continuoque ipse retro ab urbe
 castra movit. *Livius (c).*

Trzeba słuchać Rodziców.

1. Saepe ego audiui eum primum esse virum, qui ipse consulat, quid in rem sit, secundum eum, qui bene monenti obediat. Qui nec ipse consulere, nec alteri parere scit, eum extremi ingenii esse. Nobis quoniam adhuc prima ingenii negata sors est, secundam teneamus; et dum parere prudenti in animum inducemus, imperare discemus. *Livius.*

2. Quanto quis diligentius obsequitur, tanto majorem gratiam obtinebit. *Aristoteles (d).*

NAVIGANDO gubernatori est obediendum: vivendo illi, qui plus ratione valet, *Stobaeus (e).*

Non qui jussus aliquid facit, miser est; sed qui invitus facit. *Seneca.*

3. Quae honesta sunt, ut parentes colere, fidem servare, justitiam retinere, benefacere, patriam defendere, ea fieri oportet, sive imperet pater, sive non imperet. Sed quae his contraria, quaeque turpia et omnino iniqua sunt, ea ne si imperet quidem, facienda sunt. Illa tamen ipsa, in quibus obsequi patri impe-

santi non oportet, leniter et verecunde
declinanda, sensimque relinquenda sunt
potius, quam respuenda. *Aulus Gelli-
us (f).*

4. Agesilaus, patre iubente eum in
quodam iudicio, sententiam legibus adver-
sam ferre: *a te inquit, mi pater, jam in-
de a pueritia edoctus sum legibus parere.
Itaque etiam nunc tibi obtempero, nihil
in legibus peccando.* *Plutarchus (g).*

Trzeba czcił Rodziców.

Quisquis in vita sua parentes colit,
hic et vivus et defunctus, diis carus est.
Contra contemptus parentum, ejus gene-
ris peccatum est, quod et ab hominibus
odio habetur, et in viventibus ac mortuis
a diis damnatur ac punitur.

Cum patre in iudicio non est litigan-
dum: nam si patre iniquiora dixeris, da-
mnaberis: sin aequiora, vel ob id ipsum
damnari dignus es. *Stobaeus.*

2. Telecrus Spartanus cuidam nun-
cianti, patrem de eo male loqui: *nisi,*
inquit, illi dicendum esset, minime diceret.

— 7 —

Maluit in se transferre culpam, quam committere, ut pater quidquam temere loqui videretur. Habes et pietatis simul et modestiae exemplum. *Plutarchus.*

3. Liberos non modo reticere parentum injurias, sed etiam aequo animo ferre oportere. *Cicero.*

Adolescentulus quidam Zenonis scholam diu frequentaverat. Reversum in paternas aedes interrogavit pater: quid tandem sapientiae didicisset? ille, rebus ipsis se ostensurum, respondit. Indignantem autem patre, et verbera ipsi ingerente, ille quietus permanens et patienter ferens: *hoc, inquit, didici, iram patris aequo animo ferre.*

4. Ariopharnes rex Thracum, cum, tribus Regis Cimmericorum filiis de regno paterno contendentibus, iudex omnium consensu electus esset, ut litem dirimeret, patris cadaver sepulchro erui, arbori alligari jussit, arcum deinde ac tela quemque filiorum expedire, ea lege, ut qui propius cor parentis sagitta confecisset, rex haberetur. Primogenitus guttur, alter medium pectus contigerat. Tertii jacula dum

exspectantur, ille abjecto arcu, regno se abire malle, quam paternum corpus violare, asseruit. Placuit regi ejus pietas, illique regnum adjudicatum est. *Diodorus* (h),

Trzeba zawdzięczać Rodzicom.

1. Cum referi gratia tanta non potest, quanta debetur: habenda tanta est, quantam maximam animi nostri capere possunt.

Quidnam, beneficio provocati facere debemus? Imitari certe agros fertiles, qui multo plus afferunt, quam acceperunt. Ego ingrati animi crimen horreo: in quo vitio nihil mali non inest. Gratum esse et videri, virtus non solum maxima est, sed etiam mater virtutum omnium reliquarum.

2. Omnes immemorem beneficii oderunt, et eum communem omnium hostem putant, quia ipsam liberalitatem detinet. *Cicero.*

Omnes homines palam praedicant, primum Diis; deinde parentibus, honorem deberi natura et legibus, neque liberos quidquam gratius Diis facere posse, quam

si benigne et alacriter cum foenore gratias referant iis, a quibus geniti educatique sunt. Impium habetur, non semper patri ac matri ea dicere et facere, quibus laetentur. *Plutarchus.*

Si liberi parentibus nati sunt humilibus, si propinquos habeant imbecilliores, vel animo vel fortuna, eorum, cum poterunt, augeant opes, eisque honori sint. *Cicero.*

3. Praetor tradidit Triumviro, necandam in carcere mulierem sanguinis ingenui, capitali crimine damnatam. Is qui custodiae praeerat, misericordia motus, non eam protinus strangulavit. Dedit quoque aditum ad eam filiae, sed diligenter excussae, ne quid cibi inferret. Existimabat enim futurum, ut inedia consumeretur. Cum autem jam dies plures effluxissent; miratus quod tam diu viveret, curiosius observata filia, animadvertit illam, exerto ubere, lenire famem matris, lactis sui subsidio. Quae res, tam admirabilis ad iudices perlata impetravit matri remissionem poenae. Nec tantum matris salus donata est filiae pietati, sed ambae perpetuis alimentis sustentatae sunt publico sumptu; et carcer ille consecratus est, exstructo ibi pietatis templo. *Cajus Plinius. (i).*

4. Cum captum atque incensum est Ilium, Graeci Trojanorum fortunas miserati hoc maxime dignum gentis suae humanitate, pronuciari per praekonem iusserunt: ut *singuli e liberis civibus, secum auferrent in humeros sublatum id, quod putarent inter res suas praecipue servandum*. Statim Aeneas deos patrios humeris imposuit. Hac pietate capti Graeci, permisere ipsi etiam alteram rem asportare. Tum ille Diis alterum onus addidit patrem suum Anchisem, senio confectum, Quo facto mirum in modum obstupefacti Graeci, Aeneae sua omnia restitui voluerunt: ita declarantes, illos etiam qui hostes sunt, mansuescere et misericordia moveri in eos, qui deos et parentes colunt. *Aelianus (k)*.

5. Cum, seditione inter Macedonas milites et Graecos mercenarios orta, Rex Philippus gravi vulnere percussus esset, et ex equo dejectus; prosiluit ante omnes Alexander, annum tunc septimum decimum agens, jacentem clypeo suo protexit, ruentesque in eum multos, sua manu occidit. (*Plutarchus*).

Trzeba szanować Sędziwych.

1. Est adolescentis majores natu veneri, exque his deligere optimos atque probatissimos, quorum consilio nitatur. Incuentis enim aetatis inscientia regenda est senum prudentia.

Ut adolescentibus bona indole praeditis, sapientes senes delectantur, leviorque fit senectus eorum, qui a juventute coluntur et diliguntur: sic probi adolescentes senum praeceptis gaudent, quibus ad virtutum studia ducuntur. *Cicero.*

2. Legibus cautum erat apud Lacedaemonios, ut adolescentes non solum parentes suos revererentur eisque obedirent, sed seniores quoque colerent. Itaque de via illis decedebant, e sedibus assurgebant, et consistebant quieti ac verecundantes, dum illi transirent. Cuilibet seni licebat juniores omnes monere et verbis castigare. Quin, id moris erat, ut juniores a senioribus sibi obviam factis interrogarentur, quonam et cujus gratia irent. *Plutarch.*

Apud antiquos Romanos, neque generi, neque pecuniae, praestantior honos tribui solitus erat, quam aetati, Majores na-

tu a minoribus colebantur, ad parentum modum prope; in omni loco, inque omni re priores potioresque habebantur. E convivio quoque, senes a juvenibus domum deducebantur. *Gellius.*

3. Cum Athenis quidam in theatrum grandis natu venisset, ad spectandos ludos, in magno consessu, locus ei a suis civibus non est datus. Cum autem ad Lacedaemonios accessisset, qui, quia legati tunc essent, consederant certo in loco; consurrexere omnes, et sedem seni inter ipsos dederunt. Quod ubi fieri populus aspexit, multiplici plausu comprobavit.

BAYKIFEDRA (1)

Lupus et Agnus.

Ad rivum eundem lupus et agnus venerant,

Siti compulsi. Superior stabat lupus,
Longeque inferior agnus. Tunc fauce improba,

Latro incitatus, jurgii causam intulit:
Cur, inquit, turbulentam fecisti mihi
Aquam bibenti? Laniger contra, timens:

Qui possum quaeso, facere, quod quere-
ris lupo?

A te decurrit ad meos haustus liquor.

Repulsus ille veritatis viribus,

Ante hos sex menses at maledixisti mihi.

Respondit agnus: equidem natus non eram.

Pater hercule tuus, inquit, maledixit mihi.

Atque ita correptum lacerat injusta nece.

Haec propter illos scripta est homines fa-

bula,

Qui fictis causis innocentes opprimunt.

Canis per fluvium carnem ferens.

Amittit merito proprium, qui alienum
adpetit.

Canis per flumen carnem dum ferret na-
tans.

Lympharum in speculo vidit simulacrum
suum,

Aliamque praedam ab altero ferri putans,

Eripere voluit, Verum decepta est aviditas:

Et quem tenebat ore, dimisit cibum,

Nec quem petebat adeo, potuit attingere.

Vacca, capella, ovis et leo.

Nunquam est fidelis cum potente socie-
tas.

Vacca et capella, et patiens ovis injuriae



Socii fuere cum leone in saltibus.
Hi cum cepissent cervum vasti corporis,
Sic est locutus partibus factis leo:
Ego primam tollo, nominor quia leo,
Secundam, quia sum fortis, tribuetis mihi,
Tum quia plus valeo, me sequetur tertia.
Malo affligetur, si quis quartam tetigerit.
Sic totam praedam sola improbitas abstulit.

Rana rupta.

Jnops potentem dum vult imitari, perit.
In prato quodam rana conspexit bovem:
Et tacta invidia tantae magnitudinis,
Rugosam inflavit pellem: tum natos suos
Interrogavit, an bove esset latior?
Illi negarunt. Rursus intendit cutem
Majore nisu, et simili quaesivit modo,
Quis major esset? illi dixerunt bovem.
Novissime indignata, dum vult validius
Inflare sese; rupto jacuit corpore.

Muli et latrones.

Muli gravati sarcinis ibant duo:
Alter ferebat fiscos cum pecunia,
Alter tumentes multo saccos hordeo:

Ille onere dives, celsa cervice eminent,
Clarumque collo jactat tintinabulum:
Comes quieto sequitur et placido gradu.
Subito latrones ex insidiis advolant,
Interque caedem ferro mulum sauciant;
Diripiunt nummos, negligunt vile hor-
deum.

Spoliatus igitur casus cum fleret suos,
Equidem, inquit alter, me contemptum
gaudeo,
Nam nil amisi, nec laesus sum vulnere.
Hoc argumento, tuta est hominum tenui-
tas;
Magna periculo sunt opes obnoxiae.

Perae Jovis.

Peras imposuit Jupiter nobis duas:
Propriis repletam vitiis, post tergum deo
dit:

Alienis ante pectus suspendit gravem.
Hac re videre nostra mala non possumus;
Alii simul delinquant, censores sumus.

Taurus et vitulus.

Angusto in aditu taurus luctans corni-
bus,

Cum vix intrare posset ad praesepia,
Monstravit vitulus, quo se pacto flecteret:

Tace, inquit!, ante hoc novi, quam tu
natus es.

Qui doctiorem emendat, sibi dici putet.

AESOPI FABULAE. (m).

Ranae duae.

Duae ranae in palude pascebantur. Aestate autem siccata palude, illa derelicta, quaerebant aliam. Caeterum profundum invenerunt puteum. Quo viso, altera alteri inquit: descendamus in hunc puteum. Illa respondens, ait: si igitur et hic aqua aruerit, quomodo ascendemus?

Formica et Columba.

Formica sitiens descendit in fontem, et tracta a fluctu, suffocabatur. Columba id spectans, ramum arboris decerptum, in fontem projecit, super quo evasit aquis formica. Postea vero auceps quidam compositis calamis, ad comprehendendam columbam venit. Hoc viso formica aucupis pedem momordit; qui dolens calamos reliquit. Interim columba avolando, insidias evasit.

Hoedus.

Hoedus et Lupus.

Hoedus super domo quadam cum staret, vidit lupum praetereuntem, unde conviciabatur et merdebat ipsum. Haec lupus audiens ait: heus tu, non tu mihi, sed locus conviciatur. Fabula significat, plerumque et locum et tempus praebere audaciam adversus praestantiores.

Mulier et Ancillae.

Mulier vidua operosas ancillas habens, has solebat noctu excitare ad opera, ad gallorum cantum. Hae vero assiduo defatigatae labore, existimarunt oportere domesticum occidere Gallum, tanquam illum, qui noctu excitaret heram: Evenit autem ipsis hoc facto, ut in graviora inciderent mala. Nam hera ignorans gallorum horam, altius de nocte eas excitabat. Fabula significat, plerisque hominibus consilia sua esse malorum causas.

Senex et Mors.

Senex olim incisa a se ligna cum ferret domum, ob longam viam ac multum laborem fatigatus, deposito in loco quodam

onere, mortem invocabat. Mors eum ad-
esset, causamque quaereret, cur se vo-
caret: perterrefactus senex, ait, ut meum
onus attollas. Fabula significat, omnem
hominem esse vitae studiosum, licet infor-
tunatus sit et mendicus.

Asinus et Vulpes.

Asinus indutus pelle leonis, vagabatur
reliqua bruta perterrendo: ceterum visa
vulpe, tentavit et hanc perterrefacere:
haec autem (casu enim ipsius vocem au-
diverat) ad ipsum audacter ait: forsitan
et ego te timuissem, nisi rudentem audi-
vissem. Fabula significat, nonnullos in-
doctos, qui ignotis aliquid esse videntur,
sua loquacitate redargui.

Mulier et Gallina.

Mulier quaedam vidua gallinam habebat
singulis diebus ovum sibi parientem; rata
vero, si plus hordei gallinae projiceret,
bis parituram, die, hoc fecit. Sed galli-
na pinguefacta, ne semel quidem in die
parere potuit. Fabula significat, eos, qui
ob avaritiam, plurimum sunt appetentes, et
ea quae habent, amittere.

2 TERENCEYUSZA KOMEDYI (n)

pod tytułem: ADELPHI.

Actus 1. *scena* 2. Saluum te advenire
gaudemus! Hem opportune: te ipsum
quaerito: quid tristis?

Homine imperito nunquam quidquam
injustius; qui, nisi quod ipse facit, nihil
rectum putat.

Act: 3. *sc:* 3. Istuc est sapere, non
quod ante pedes modo est, videre; sed etiam
illa, quae futura sunt prospicere.

Scena 4. Inspicere, tanquam in spe-
culum, in vitas omnium jubeo: atque ex
illis sumere exemplum sibi: hoc facito,
hoc fugito: hoc laudi est, hoc vitio datur.

Act 5. *sc.* 8. Facite, quod vobis lubet.
Sed si id vultis potius, quae vos propter
adolescenciam minus videtis, magis impen-
se cupitis, consulitis parum, haec repre-
hendere et corrigere me, et obsecundare
in loco, ecce me qui id faciam vobis.

Tibi Pater permittimus: plus scis, quid
opus facto est.

Phormio Act. 1. *sc:* 2. At ego obviam
conabar tibi Dave. (*Davus*) Accipe hem,
lectum est, conveniet numerus, quantum

debui. (*Geta*) Amo te, et non neglexisse, habeo gratiam. (*Davus*) Praesertim ut nunc sunt mores. Si quis quid reddit, magna habenda est gratia. Sed quid tu es tristis? (*Geta*) Egone: nescis quo in metu et quanto in periculo simus? (*Davus*) Quid istud est? (*Geta*) Scies, modo ut tacere possis. (*Davus*) Abi sis insciens: Cujus tu fidem in pecunia perspexeris, verere verba ei credere? Quid mihi lucri est te fallere!

POWIEŚCI NIEKTORE.

Nasica, cum ad poetam Ennium venisset, eique ab ostio quaerenti, ancilla dixisset domi non esse, Nasica sensit illam domini jussu dixisse, et illum intus esse. Paucis post diebus, cum ad Nasicam venisset Ennius, et eum a jannua quaereret, exclamat Nasica, se domi non esse. Tum Ennius, quid! ego non cognosco vocem, inquit tuam? Hic Nasica, homo es impudens: ego cum te quaererem, ancillae tuae credidi, te domi non esse; tu mihi non credis ipsi? *Cicero lib: 2. de Oratore.*

Ibidem nro 69. Orator malus, cum in epilogo misericordiam se movisse putaret, postquam assedit, rogavit Catulum, vide-

returne misericordiam movisse? „Ac ma-
gnam quidem, inquit Catulus: neminem
enim puto esse tam durum, cui non o-
ratio tua miseranda visa sit.”

Siculo Praetor Scipio patronum causae
dabat hospitem suum, hominem nobilem,
sed admodum stultum; „Quaeso Praetor,
inquit Siculus, adversario meo da istum
patronum: deinde mihi neminem dederis.”

Tuseulan Quaest: lib 1. nro 30. A-
pud Hypanim fluvium (o), qui ab Europae
parte in pontum influit, Aristoteles ait be-
stiolas quasdam nasci, quae unum diem
vivant. Ex his igitur, hora octava quae
mortua est, profecta aetate mortua est;
quae vero occidente sole, decrepita.

Ibidem lib: 5. nro 14. Lacedaemonii,
Philippo minitanti per literas, se omnia,
quae conarentur, prohibitorum, quaesi-
verunt, num se esset etiam mori prohibi-
turus?

Nro 31. Socrates, in pompa cum
magna vis auri argentique ferretur, quam
multa non desidero, inquit.



PRZYPISKI

- (a) *Marcus Tullius Cicero*, jeden z najsławniejszych ludzi na świecie, Filozof, Mówca i Konsul Rzymski. Wiele dzieł filozoficznych i moralnych pisał, oprócz szacownych mów w Sądach i Senacie miastnych: narodził się na 166 lat przed Chrystusem, w starości swojej zabity od swych nieprzyjaciół, którzy razem byli nieprzyjaciółami oyczyzny.
- (b) *Seneca* żył po Chrystusie za Nerona Cesarza, narodził się zaś roku 13. Najwięcej pisał w materyach moralnych.
- (c) *Titus Livius* sławny Historyk Łaciński żył za czasów Augusta cesarza; od którego był wielce poważany, umarł 17 roku po Chrystusie, ze 140 xiąg dzieł jego, tylko się 35 zostało.
- (d) *Aristoteles*, jeden z najsławniejszych Filozofów Greckich, urodził się przed Chrystusem na lat 384. Uczniem był Platona Ateńskiego mędrca. Założył w Atenach szkołę, edukował Alexandra W. wiele w różnych materyach pisał; którego xiążki moralne i polityczne wyłożył po polsku Sebastyan Petrycy Akademik Krakowski.
- (e) *Stobaeus* Grecki także Filozof żył 5go wieku po Chrystusie, wiele i ten pisał, wszakże tylko z jego pism niektóre niezupełne w zdaniach moralnych i powieściach kawałki pozostały.
- (f) *Auius Gellius* uczony Grammatyk Łaciński, żył za Adryana Cesarza około 130 roku po Chrystusie. Pisał wiele ciekawych powieści do historii służących.
- (g) *Plutarch* sławny Filozof i historyk Grecki, żył za czasów Traiana Cesarza na początku drugiego wieku po Chrystusie. Pisał Historią życia sławniejszych mężów Greckich i Rzymskich, porównyując jednego z drugim. Pisał i moralne xiążki, iako to: o *Edukacji dzieci*, i wiele ciekawych rzeczy o starożytności.

2021502

- (h) *Diodorus Siculus* z rodziców Greczyn, narodził się w Sycylii za czasów Juliusza Cezara i Augusta, pisał w Rzymie *Bibliotekę historyczną*, na 40 tomów podzieloną, z których tylko teraz jest 15.
- (i) *Cajus Plinius Secundus* urodził się w Weronie, żył za Wespazjana i Tytusa Cesarzów. Pisał *Historiā naturalną*. Drugi tegoż imieniem *Plinius Caecilius Secundus*, siostrzeniec pierwszego, pisał listy dowcipne, i sławny Panegiryk Traiana.
- (k) *Claudius Alianus* narodził się w Prenceście we Włoszech; uczył w Rzymie Retoryki za czasów Alexandra Severa Cesarza, około roku 222 po Chrystusie. Napisał między innymi *Historiā Zwierząt*.
- (l) Fedrus rodem z Tracji czyli terazniejszej Romanii, wyzwoleniec Augusta, bajki Ezopa, iak sam mówi, wyłożył wierszem. Pisał za panowania Tyberjusza. Prześladowany był od jego ministra złośliwego Seiana, któremu się zdawało, iakoby w bajeczkach Fedra, satyry na siebie widział. Czuł się Seian do abrodni, i wszystkich miał u siebie w podeyrzeniu.
- Od czasu Seneki, poszły w niepamięć bajeczki Fedra. W wieku dopiero XVI. Franciszek Pithou Francuz w Bibliotece Rotomageńskiej wynalazł je i wydał na świat. Styl Autora tego piękny i łatwy, czystą Łaciną najlepszym w tym języku Pisarzom bynajmniej nie ustępuje.
- Bayki Fedra przełożone są na różne języki. Znajdują się tłumaczone po polsku wierszami, w zbiorze Rymów Jozefa Epifaniego Minasowicza Kanonika Kirowskiego.
- (m) Ezop z Frygii rodem, żył na 600 lat przed Narodzeniem Chrystusa, służył u Filozofa Xanta. Dla swego dowcipu i rozsądku gruntownego, w wielkim był szacunku u wszystkich.
- (n) *Publius Terentius Afer*, narodził się w Afryce w mieście Kartaginie. Człowiek ten miał dowcip i naukę, a osobliwie piękny charakter duszy i przyjemność obyczajów: dalekim będąc od wszelkiej złośliwości, nie umieścił jej w pismach swoich. Muza jego, mówi

Horacyusz Poeta Łaciński, nie inaczej pokazywała się na teatrze tylko z jaką skromnością przychodzić zwykły damy Rzymskie na czynienie ofiar boginiom. Przyjaciel dwóch sławnych Rzymian Leliusza i Scypiona Afrykańskiego. Terency był niewolnikiem Terencego Lukana Senatora Rzymskiego: od którego przy wyswoleniu nadane sobie miał imię Terencego. Pisał Komedye w języku łacińskim, z których tylko sześć pozostało. Gdy przyszedł raz do Edyla, który miał staranie o teatrach dla przeczytania swojej komedyi przed podaniem iey na teatr; nie będąc znającym Edylowi, i przybrany też nie bogato, stanął zdaleka. Lecz iak kilka wierszów swojej Komedyi przeczytał; powstał Edyl z miejsca swego, prosząc Terencyusza, aby przy nim usiadł, i dalej czytanie przy nim usiadłszy czytał. Umarł w podróży do Grecyi około R. 56. przed Chrystusem.

(6) *Hipanis* rzeka *Bóg*, wpadająca niedaleko *Oczakowa* w morze czarne, zwane *Pontus Euxinus*.

Hora octawa podług naszego zegaru wypada godziną drugą po południu.

KSIĘGOZBIÓR
MARCINA ZAMOYSKIEGO

10416

-KZ

Horacyusz Poeta Łaciński, nie inaczej pokazywała się na teatrze tylko z iaką skromnością przychodzić zwykły damy Rzymskie na czynienie ofiar boginiom. Przyjaciel dwóch sławnych Rzymian Leliusza i Scypiona Afrykańskiego. Terency był niewolnikiem Terencego Lukana Senatora Rzymskiego: od którego przy wyswoleniu nadane sobie miał imię Terencego. Pisał Komedye w języku łacińskim, z których tylko sześć pozostało. Gdy przyszedł raz do Edyla, który miał staranie o teatrach dla przeczytania swoiey komedyi przed podaniem iey na teatr; nie będąc znanym Edylowi, i przybrany też nie bogato, stanął zdaleka. Lecz iak kilka wierszów swoiey Komedyi przeczytał; powstał Edyl z mieysca swego, prosząc Terencyusza, aby przy nim usiadł, i daléy czytanie przy nim usiadłszy czytał. Umarł w podróży do Grecyi około R. 50. przed Chrystusem.


(6) *Hipanis* rzeka Bóg, wpadająca niedaleko Oczakowa w morze czarne, zwane *Pontus Euxinus*.

Hora szóstą podług naszego zegaru wypada godziną drugą po południu.

KSIĘGOZBIÓR
MARCINA ZAMOYSKIEGO

10476

-KZ



Biblioteka im Hieronima
Łopacińskiego w Lublinie

I | 203154 | K

Horacjusz

Epigramy

Wydanie 1880